

catum non esse *magis* peccatum, quàm alterum, concedimus: Sed tamen unum est *majus* altero in gradu. Deinde omnia peccata paria sunt ratione stipendii, quod est mors, *Rom. 6, 23.* Objic. Joviniani: 1. Omnia peccata committi exorbitando à lege DEI. 2. Duo hominum genera recenseri, *Matth. 25, 34.* malos & bonos. R. 1. Valeat distinctio. 2. Verum hoc: Interim malitia illa nihilominus suos gradus habet, quod vel inde patet, quia in inferno sunt certi gradus pœnarum. E. omnia peccata non sunt æqualia.

IN LOCO  
DE LAPSU PRIMORUM  
HOMINUM.

THEOREMATA.

1. **A** Peccati theoriâ generali descendimus ad specialem ejusdem considerationem, ubi primum se offert peccatum originale, quod sumitur dupliciter, 1. pro malo actu, quem commisit homo in Paradiso, Legem Domini violando, qui à Theologis nostris lapsus primi hominis indigitatur. 2. Pro malo habitu, quem contraxit homo malè & perfidè agendo, & in specie peccatum originale appellatur.
  2. Lapsus primorum parentum est legis divinæ de non comedendo fructu arboris vetitæ transgressio, quâ ipsi totam humanam naturam in se, tanquã universali totius generis humani radice, corruerunt, atq; non tantum seipsos, sed etiam omnes posteros suos in mortem, tum temporalem, tum æternam, præcipitarunt.
  3. Causa hujus duplex est: principalis & Instrumentalis.
  4. Principalis est vel remota, vel propinqua.
  5. Remota est Diabolus, qui Evam ad legis divinæ violationem sollicitavit, *Genes. 3, v. 1. seqq.*
  6. Propinqua fuit homo, propria voluntate sua diabolo asurgens, & à lege discedens, *Gen 3, v. 6.*
  7. Causa instrumentalis fuit serpens, non secus enim ac Angelus bonus eũ Bileamo per asinam *Num. 22, 32. 33.* Ita Diabolus, qui se in Angelum lucis transformare novit, *2. Cor. 11, 14.* per serpentem naturalem cum Eva locutus est, *Gen. 3.*
  8. Ordo seductionis verò sic habet: 1. Diabolus persuadebat. 2. Persuaden-